

in potestate sua prædeterminationem a Deo præstandam, cum illam expectare debeat, ut inchoare suam actionem possit. Quæ quidem omnia non animo contradicendi a me dicuntur, sed ut res, si fieri possit, intelligatur; quoniam a multis annis hac opprimor difficultate, et summo affectu intelligendi vel inveniendi aliquem illius exitum, hos et alios auctores evolvi, et eorum omnia responsa meditatus sum, nihilque inveni quod vel apparenter aut verisimiliter repugnantiam illam mihi componeret, et ideo non timui molestus esse lectori, omnes prædictos dicendi modos enumerando; et si quis alius superest vel excogitari potest, in sequenti capite illum attingemus; nulla enim diligentia supervacanea censenda est, quia ex hoc puncto magna ex parte verum iudicium præsentis controversiæ pendet, et in illo gravissima dogmata fidei concutiuntur, quæ non solum inconcussa retinere, sed etiam pro viribus explicare, et eorum rationem reddere tenemur.

CAPUT XIII.

OBJECTIONIBUS CONTRA DISCURSUM FACTUM SATISFIT.

1. Solent nobis objici instantiæ quædam quibus vis rationis factæ enervari videtur. Nam electio seu prædestinatio ita est ad salutem necessaria, ut sine illa comparari non possit, et illa non est in manu hominis, sed ex sola voluntate Dei pendet, et nihilominus habet homo auxilium sufficiens quo simpliciter potest salvari. Idem argumentum sumitur ex prædestinatione singulorum actuum supernaturalium, nam sine illa esse non possunt, et nihilominus homo est liber, et habet auxilium sufficiens ad actus a Deo non prædefinitos faciendos, cum tamen talis præfinitio in potestate hominis non sit; item vocatio congrua est necessaria ad supernaturalem actum, ita ut sine illa nunquam fiat, et talis est ut non sit in potestate hominis; non est enim (ut Augustinus dixit) in potestate nostra ut his vel illis visis tangamur, et nihilominus qui non congruenter vocantur, sufficienter vocantur, ut absolute possint venire si velint, teste Augustino, quæst. 2 ad Simplician., et quæst. 68 ex 83; ergo. Item, qui de facto non convertuntur non habent in tempore auxilium efficax ad conversionem; ergo Deus ab æterno decrevit non dare illis auxilium efficax; ergo ex decreto absoluto Dei, carent aliquo auxilio ne-

cessario ad conversionem, et nihilominus habent auxilium sufficiens, et simpliciter possunt converti; ergo illa consecutio non est formalis, nec habet majorem efficaciam in auxilio prædeterminante quam in his omnibus. Nam in his omnibus necesse est distinguere inter necessarium ad agendum, et ad potestatem agendi, ut, priori deficiente et negato, possit subsistere secundum; ergo idem in prædeterminante auxilio locum habet.

2. *Solvuntur objectiones.*—Ad hæc primum in generali dicimus exempla non esse de auxilio aliquo natura sua necessario ad operationem, et ideo non esse similia, quod in sequentibus latius per singula capita explicandum erit; nunc autem breviter singula perstringemus, ne lector dubius vel suspensus maneat. Electio igitur, prædestinatio et præfinitio non sunt auxilia, ut in tertio prolegomeno dixi, sed sunt actus immanentes in Deo, quos necesse non est per se et immediate esse principia operationum; et ideo licet admittamus illos fuisse in Deo ex parte ipsius ad meliorem providentiæ modum necessarios, nihilominus possunt homini dari sufficientia auxilia ad salutem, non solum remota, sed etiam proxima. Eo vel maxime quod etiam illi actus non sunt in Deo sine aliquo ordine ad futurum usum libertatis, cum auxilio concomitante gratiæ, prius prævisum a Deo per scientiam saltem conditionatam, ut in primo et secundo prolegomeno tactum est, et in sequentibus sæpius dicitur. Qui ordo non est contra gratuitam electionem aut prædestinationem, nec contra voluntariam prædefinitionem, quia non est habitudo ad illum usum libertatis futurum, tanquam ad causam seu rationem illorum actuum, sed tanquam ad effectum, mediis auxiliis congruentibus, quæ usum libertatis non impediunt, sed dirigant.

3. *Respondetur ad tertium, de vocatione congrua.*—Unde ad tertium, de vocatione congrua, dicimus imprimis illam esse necessariam non ex natura rei, sed supposita præscientia futuri eventus sub conditione, et ideo de illa recte dici esse necessariam ad actionem, non ad potestatem, quia nec ad actionem necessaria est per se, sed supposita tali scientia. Deinde dicimus in vocatione congrua duo esse distinguenda, scilicet, auxilium quod est principium actus, et congruitatem ad futurum consensum; ratione primi dat potestatem agendi, et in illo constitit sufficientia quæ potest esse æqualis in auxilio non congruo; congruitas vero non auget virtutem auxilii, ut infra os-

tendetur, sed est necessaria ad infallibilitatem effectus, et ideo sine illa potest optime dari auxilium sufficiens. Unde tandem dicitur in potestate hominis sufficienter vocati esse facere ut vocatio ejus congrua sit, et ideo, licet de facto illi non sit congrua, illi imputari, quia auxilium sufficiens habuit. Unde est illud Augustini, quæst. 2 ad Simplician: *Noluit Esau, et non cucurrit; nam, si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret*, fuit ergo in potestate Esau aliquid, quod si faceret, vocatio illa congrua fuisset. Et ad idem pertinet quod, dicta quæst. 68 ex 83, de vocatis ad cenam dicit: *Nec omnes illi qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt venire possent nisi vocarentur, ideoque nec illi debent sibi retribuere quod venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera voluntate.* Ergo in eadem voluntate erat facere aliquid quo vocatio in eis esset congrua, non fuit tamen in voluntate eorum facere ut prædeterminarentur.

4. *Responsio ad ultimam instantiam.*—Et hinc etiam facilis est responsio ad ultimam instantiam, nam is qui post sufficientem vocationem non consentit seu operatur, non caret aliquo principio supernaturali ad operationem, sed tantum concursu simultaneo, cujus carentia non est ex parte Dei, sed ex parte liberi arbitrii, nam Deus ex se paratus est, et offert illum concursum homini vocato; ipse autem homo non vult influxum ex parte liberi arbitrii necessarium adhibere, et ideo et actuali concursu et operatione caret, quod in auxilio prædeterminante locum non habet, ut satis probatum est. Non ergo recte existimant alii auctores eandem esse difficultatem de auxilio simultaneo in operatione imbibito, et de prædeterminatione, cum differentia sit notissima; nam auxilium simultaneum non fit sine cooperatione liberi arbitrii, et ideo potest impediri per voluntatem hominis libere non adhibentis suam concausationem, ut sic dicam; prædeterminatio autem est a solo Deo, et præcedit ordine naturæ et causalitatis omnem influxum liberi arbitrii, quia nec illius præparationem seu dispositionem, nec concausationem requirit, imo est causa influxus ejus, et ideo non habet unde sit in potestate liberi arbitrii.

5. *Instantia.*—*Respondetur.*—Instat vero Ledesma, quia etiam auxilium physicum in tempore imbibitum in ipsa operatione est causa

effectiva ipsius operationis; ergo est prius natura quam illa et prævium ad illam. Et e contrario etiam auxilium prædeterminans tenet se ex parte actus, et non ex parte principii; ergo est eadem difficultas. Respondetur utramque partem antecedentis falsam esse, et contra dicta ejusdem argumentantis in aliis locis, nam auxilium imbibitum in ipsa actione non potest esse causa actionis voluntatis, cum sit idem indivisibiliter cum ipsa: unde quidam ejusdem ordinis Theologus, et prædeterminationis defensor, dixit, non obstante subordinatione ad causam primam, simul natura attingi effectum et actionem a causa prima et secunda. Ridiculumque est asserere quod Deus prius natura faciat meam visionem quam ego, aut quod prius natura faciat meum consensum quam mea voluntas, esto a voluntate non fiat nisi cum subordinatione ad primam causam. De auxilio autem prædeterminante, si detur, satis per se patet esse omnino prius causalitate et natura, supraque de concursu prævio satis ostensum est præcedere per modum principii vel complementi ejus, quod multo est evidentius in auxilio prædeterminante, quod non tantum ponitur ob generalem concursum, sed ut det vires voluntati, ut declaratum est.

CAPUT XIV.

UTRUM POSSIBILE SIT AUXILIUM EFFICAX PHYSICE PRÆDETERMINANS VOLUNTATEM IN ACTU PRIMO, SALVO LIBERO USU EJUSDEM VOLUNTATIS IN EODEM ACTU SECUNDO, AC SUBINDE AN LIBERTAS QUOAD EXERCITIUM IN ACTU VOLUNTATIS SIMUL POSSIT CUM AUXILIO PHYSICE ET IN ACTU PRIMO PRÆDETERMINANTE VOLUNTATEM CONCORDARI.

1. Nonnulli ex Theologis qui negant auxilium prædeterminans in actu primo esse necessarium ad omnia opera pietatis, licet consequenter negent in illo consistere adæquate auxilium efficax, nihilominus fatentur interdum dare Deum auxilium efficax per hunc modum prædeterminationis, quia est consentaneus omnipotentiae Dei et efficaciae divinæ voluntatis, et non repugnat aperte libertati. Primo, quia illa motio tantum inducet necessitatem in sensu composito, quæ non repugnat libertati. Secundo, quia Deus sapientia sua infinita novit unamquamque causam secundam movere fortiter et suaviter; fortiter, ut efficienter faciat illam facere, et suaviter, ut modo illi consentaneo illam operari faciat, ac subinde libere si libera sit, licet nos fortasse

modum illum operandi Dei non assequamur. Tertio, argumentantur exemplis, ut in actibus prædefinitis, seu prædestinatorum aut electorum; præsertim vero in actibus voluntatis Christi, in subitaneis conversionibus, ut Pauli, et in confirmatis in gratia.

2. Hanc sententiam refert P. Alvarez, disput. 91, num. 5, et in margine citatur P. Lorca; sed ille in alio sensu locutus est, ut cap. 16 declarabo. Eandem opinionem tribuit Ledesma F. Joanni Vincent., in art. 1; et in principio quæstionis refert aliquos dixisse, auxilium prædeterminans dari prædestinatis, ut infallibiliter operentur; nam ille modus operandi est necessarius ad certitudinem antecedentem prædestinationis; reprobis vero ad bene operandum non dari, quia in illis non est necessaria illa infallibilitas antecedens. Refert item alios dixisse hoc auxilium prædeterminans dari in natura lapsa, non vero datum fuisse Angelis Sanctis, neque etiam Adamo fuisse necessarium in statu innocentiae. Qui omnes dicendi modi supponunt hoc auxilium esse possibile, salva libertate, esto non sit per se necessarium, et hanc opinionem fere ante triginta annos in quibusdam solemnibus disputationibus ejusdam insignis collegii D. Thomæ Aquinatis, vidi publice defendi. Et videtur illam insinuare Card. Tolet. ad Rom. 11, notab. 4, dicens: *Augustinus existimat totum esse gratiæ, quia facit hominem cooperari, et determinat arbitrium hominis, quia dat ut velle possit, et facit velle. Existimo tamen non semper id esse, sed sæpe jurat hominem ut velle et operari possit; quod tamen velit et operetur, hominis est facientis quod est in se, quamvis non sine adjuvante gratia*; ubi dicens: *Existimo non semper id esse*, significat aliquando id esse, et, quod difficilius est, sentit secundum Augustinum semper ita esse, quod postea videbimus.

3. *Auxilium, motio, qualitas, etc., indita voluntati ex sola efficientia Dei, et ex se prædeterminans illam physice in actu primo, omnino repugnat cum libertate.* — Nihilominus dico auxilium, motionem, qualitatem, aut entitatem inditam voluntati ex sola efficientia Dei, sine concursu libero effectivo voluntatis, et ex se prædeterminans illam simpliciter seu physice in actu primo ad elicendum actum secundum, omnino repugnare cum libertate ejusdem actus, et hoc modo esse impossibile. Hanc sententiam tractavi in opusculis et in Metaphysica, et in prima parte, illamque censeo communem Theologorum. Quia vero ad hoc etiam est controversia, sciendum est

quæstionem hanc cœpisse in Hispania ante annos quadraginta, distincte et in propriis terminis in scholis agitari, et præsertim in Salmanticensi, de qua possum tanquam ocularis testis deponere: ex libris vero postea editis, intelligimus eandem controversiam in aliis etiam provinciis et regionibus ortam esse, et paulatim adeo crevisse, ut oportuerit Apostolicam Sedem modum in hac disputatione servandum præscribere. De auctoribus ergo qui ante hanc ortam sententiam scripserunt dicam postea, quia magis lubrica esse potest eorum sententia, eo quod non tam clare neque eisdem verbis quæ nunc usurpantur rem disputarunt; solum ergo hic adnotabo aliquos, qui post illa tempora scripserunt; et imprimis satis notum plures ex Theologis Societatis Jesu sententiam hanc et accurate disputasse, et pro viribus asseruisse. Præcipue vero id præstitit illustrissimus Bellarminus, lib. 1 de Grat. et liber. arbit., cap. 12; Fonseca, lib. 6 Metaph., cap. 2, quæst. 5; Molina, in Concordia, ad artic. 13, q. 14, disput. 13, 38 et 40, et ad quæst. 23, disp. 1, memb. 6; Valent., in controversia, lib. de Divin. grat., p. 2, c. 3, et in 2 tomo Summæ Theologiæ, disp. 8, q. 3, punct. 4, § 2; Vasquez, 1 p., disput. 88 et 98, et 1. 2, disp. 183, c. 6 et 11; Leonard. Les., in disputatione speciali de gratia efficaci, et alii obiter, et per occasionem eandem sententiam indicant.

4. *Probatur auctoritate.* — Ex aliis vero modernis scriptoribus, ex professo defendit hanc sententiam Illustrissimus Ferdinandus Mascaregnas, in tract. de Auxiliis divin. grat.; et Franciscus Diotalevi., in opuse. de Concursu Dei ad actus liberos; et Alexander Pesant. 1. 2, quæst. 111, art. 5, disp. 4, ubi satis explicat suam sententiam, licet in disp. 7 eam suspendere videatur, eo quod Clementis VIII decretum ea de re illo tempore expectaretur. Et eandem doctrinam habet in 1 part., quæst. 19, art. 8, et quæst. 13; P. etiam Lorca, licet in contrarium allegetur, quia aliquam prædeterminationem physicam admittit esse possibilem, nihilominus, in sensu in quo nunc loquimur, expresse tenet hanc sententiam 1. 2, disp. 21 de grat., sub tit. *Explicatur concordia, etc.*, ubi declarando mentem suam ait: *Non enim est existimandum hoc auxilium esse aliquam qualitatem per modum actus primi determinantem voluntatem, ut quidam prave philosophantes dicunt; hæc enim auferret libertatem, quia, quacumque ratione voluntas ante operationem intelligatur determinata, auferitur libertas.* Eandem sententiam multis modis do-

cet et confirmat Curiel, lib. 2 Controversiar., præsertim a numer. 137, per multa sequentia, et specialiter in num. 176 dicit: *Videri autem secundum fidem nullum esse auxilium ex his quæ tenent se ex parte voluntatis creatæ, quantum per modum principii præsupponitur suis actionibus, quod ita determinet voluntatem ad agendum, ut non relinquat ipsam secundum se et intrinsece indifferentem et indeterminatam physice ad agendum et non agendum, ita ut pro sua libertate possit re ipsa agere et non agere, quod late postea probat.* Brevius hoc punctum attingens, Ludovic. Tena, in epist. ad Hebr., c. 4, in ultimis verbis, nostræ sententiæ subscribit sine disputatione vel probatione, et c. 12, diffic. 2, n. 59, ait gratiam non esse efficacem sine nostro consensu, imo nostro consensu fieri efficacem. Pro hac nostra sententia, quantum ad hanc partem, allego F. Cumel in opuse., lib. 1, disp. 4, conclus. 4, quæ est: *Ita affirmatur a nobis efficacia divini auxilii esse a Deo, et non ex nostra cooperatione, ut non dicamus Deum prædeterminare nos ad extra se solo aliqua actione prius in nobis posita, seu aliqua actione prædeterminante prius in nobis recepta, in qua mere passive se habeat liberum arbitrium, quod latissime repetit in explicatione conclusionis 5, et addit: Quia sic tolleretur libertas, et necessitaretur.* Et in disp. 5, et aliis locis, sæpe id repetit negando expresse posse, salva libertate, prædeterminari voluntatem physice et in actu primo per actionem solius Dei, ipsa voluntate passive se habente. Et eodem modo possemus pro eadem sententia referre Ledesmam, cujus verba paulo post referam.

5. *Supponendum.* — Ut ratione probemus assertionem, suppono, quod sæpe dixi, non esse controversiam an voluntas nostra jam sufficienter vocata indigeat principio physice operante illi et adjuvante illam, cum actu operatur, nam in hoc omnes convenimus, estque certissimum et evidens, supposito principio fidei quod illi actus sunt supernaturales. Neque etiam est controversia quod sit in particulari hoc principium, an scilicet sit habitus in his qui operantur ex habitu, in aliis vero sit vel ipsa vocatio physice concurrens cum potentia, vel sit ipsa virtus increata Dei, per seipsam elevans et adjuvans potentiam, vel sit etiam aliquis actus primus datus per modum transeuntis. Hi enim omnes modi concipi possunt sine prædeterminatione physica voluntatis, et si hoc modo quilibet illorum asseratur, habet suam probabilitatem, et non pertinet ad præsentem

controversiam, sed ad aliam quæ lib. 3 tractata est. In præsentem ergo, solum dicimus illud principium, quod cum voluntate efficit physice actum supernaturalem, non posse tale esse ut simul etiam formaliter ipsam determinet, quin etiam libertatem in efficientia talis actus tollat, illamque ad eum exercendum absolute necessitet.

6. *Probatur ratione.* — Superest ergo explicata assertio. Probatur, quia, posito in voluntate illo principio prædeterminante illam, actus non est liber remote, seu in causa; neque etiam est formaliter liber; ergo nullo modo. Consequentia est clara, et major similiter, quia impressio seu receptio talis auxilii non est libera voluntati, quia neque ab illa fit, neque voluntas ad illam se disponit, neque ex libero usu ejus pendet, ut capite præcedenti probatum est, consequenter in illa sententia loquendo; ergo actus qui necessario sequitur ex illa causa non est liber in causa, quia illa prædeterminatio est causa quasi adæquata illius actus, ut etiam prædicti auctores loquuntur, seu est unica et totalis radix in quam ultimo resolvitur talis actus inter principia proxima ejus, nam illud auxilium ulterius resolvitur in divinam voluntatem, quæ est altior causa, minusque a libertate hominis pendens. Jam ergo probatur minor de formali libertate, quia actus est liber formaliter ex habitudine ad suum proximum principium; sed hic actus non est liber ad suum proximum principium; ergo. Probatur minor, quia proximum principium talis actus non est nuda vel sola voluntas, sed est hoc compositum seu constitutum a voluntate, et hac entitate auxilii; sed ab hoc composito inevitabili necessitate procedit actus; ergo non est formaliter liber ex habitudine ad suum principium.

7. *Rejicitur quorundam distinctio duplicis necessitatis.* — Hæc ratio per se spectata videtur multum cogere intellectum; potest autem ejus efficacia variis modis ex hactenus dictis declarari. Primus est quia auxilium illud per se spectatum non efficit libere sed necessario, ut supponitur, quia natura sua est determinatum ad exercitium sui actus, adeo ut dicant auctores illius sententiæ, non solum naturaliter, verum etiam neque de potentia absoluta posse ab actione separari. Nec etiam ut conjunctum voluntati, quia (ut ait Alvarez) auxilium efficax præoperantis gratiæ non subditur, quantum ad usum, potestati nostræ liberæ voluntatis, sed potius e converso eam sibi subjicit, et obsequentem facit fortiter et